DISSERTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,
DE
COLICA DAMNONIORUM.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;
NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;
PRO GRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
Eruditorum examini subjicit

JACOBUS ARMITSTEAD,
BRITANNUS,

Reg. Med. Soc. Edinen. Soc.

Cognitio causae morbum tollit.

Ad diem 25. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXI.

Viro illustrissimo

GULIELMO CULLEN, M.D.

Usus Practici in Academia Edinensi Professori,

Cui nullus antiquiorum recentiorumve,

Qui medicinam excoluerunt,

Anteponendus;

NEC NON

Viro optimo

EDMUNDO BENSON,

ARMIGERO,

De Hatton prope Skipton,

Rei philosophicae, omnisque artis elegantioris,

Amantissimo et in primis perito;

Denique,

Viro spectabili

JOANNI FAIRBANK,

ARMIGERO,

De Otley,

Integritate morum et humanitate nemini secundo;

Ob benevolentiam et urbanitatem

Insignes,

Quibus omnes se constanter sunt prosecuti,

Hanc dissertationem inauguralem,

Monumentum animi non ingrati,

D. D. C. Q.

AUCTOR.

Viro illustrissimo

GULIELMO CULLEN, M. D.

Usus Practici in Academia Edinensi Professori,

Cui nullus antiquiorum recentiorumve,

Qui medicinam excoluerunt,

Anteponendus;

NEC NON

Viro optimo

EDMUNDO BENSON,

ARMIGERO,

De HALTON prope SKIPTON,

Rei philosophicae, omnisque artis elegantioris,

Amantissimo et in primis perito;

Denique,

Viro spectabili

JOANNI FAIRBANK,

ARMIGERO,

De OTLEY,

Integritate morum et humanitate nemini secundo;

Ob benevolentiam et urbanitatem

Insignes,

Quibus omnes se constanter sunt prosecuti,

Hanc dissertationem inauguralem,

Monumentum animi non ingrati,

D. D. C. Q.

AUCTOR.

Dr. Duncan

wth. Compts

from the Autho[r]

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

COLICA DAMNONIORUM.

OMNIS morbus, utcunque ſit levis, medici attentionem meretur. Hujus eſt mala generis ſui corporea omnibus, quae in ſua ſunt poteſtate, levare. Haec vero ignorabit, niſi ſtudio rerum naturae attentus incubuerit.

Operationes ſyſtematis animalis ſunt adeo difficiles, et tenebris ſpiſſis adeo ſaepe involutae, ut non parum acuminis ad ſimpliciſſimas earum inveſtigandas ſit neceſſarium.

 Quod

Quod argumentum illuſtrandum ſuſcepimus, id annos per aliquot medicorum animos ad ſe convertit. Namque colicam, Damnoniorum propriam, fuſe ſunt executi Huxhamius et alii; parum tamen luminis origini et naturae ejus, niſi ante pauciſſimos annos, offuſum. Qui medici intra hoſce triginta vel quadraginta annos floruerunt, ii audacius et liberius forſitan in rerum naturam, quam ulli ex antiquioribus, inquiſiverunt. Huic ſoli ſunt tribuenda innumera utilia reperta, et medicina ab omni fere parte magis minuſve exculta.

Cauſam colicae Damnoniorum acido tartari in corpus recepto, ibique effectus ſuos nocivos edenti, retulit Huxhamius. Hinc omnia ſigna, quae per totum morbi decurſum ſe oſtendunt, ſpecioſe deduxit. Experimenta autem eo tempore defuerunt, quae acidum tartari quantitati plumbi, cui omnes morbi notae tribui debuerunt, admiſtum fuiſſe, probarent. Quo tempore ſcripta ſua in lucem edidit Huxhamius, eo ratiocinia theoretica invaluerunt, et pauca

ex-

experimenta sunt instituta, quae sententias, in quas viri notitia medicinae nobilitati concesserant, vel firmarent vel convellerent. Æqualibus vero hodie mutationem artis Hippocraticae, quae inciderit, felicem possumus gratulari. Nulla enim theoria, utcunque ingeniosa esse videatur, nisi rite suffulciatur, ab hodiernis recipitur. Sceptica perseverantia partes in suas diversas discerpta caute consideratur, et, si rebus veris experientiaeque reperiatur adversari, contemnitur, et memoria ejus oblivione deletur.

Quidam auctores nuperi, ut supra comprehendi, hujus morbi naturae attente diligenterque studuerunt. Iis igitur potissimum, quae sum traditurus, referenda esse confiteor. Historiam, causam viamque medendi adeo accurate fuseque depinxerunt, ut nihil fere amplius supersit, quod iis, quae tradiderint, possim adjicere.

Hoc silentio non praetereundum videtur, quod sub colica Damnoniorum, colicam Pictonum, colicam Saturninam multorum auc-

torum,

torum, rachialgiam Pictonum Sauvagesii, *belland* quarundam Angliae regionum, *mill-reek* Scotiae, et reliquas, quotquot sunt, nominibus, non natura diversas, comprehendo. Proximum autem est, ut ea, quae historiam morbi spectant, referam.

HISTORIA MORBI.

A sensu doloris in abdomine scrobiculoque cordis plerumque incipit. Hunc appetitus prostratus brevi, et aliquantum flavedinis in vultu totaque corporis superficie, citius seriusve excipiunt. Dolor in regione epigastrica gradatim increscit, et spatio brevi gravis et continuus evadit. Ægritudo huic pro rata ratione respondens nunc accedit, et secundo tertiove morbi die nausea, cui succedit vomitio frequens. Quod rejicitur, id plerumque admodum viride, aliquando subnigrum; nonnumquam adeo acre, ut cuticulam faucibus erodat, aliquantumque

tumque ſanguinis ſecum adducat. Iis, quae ventriculo comprehenſa, rejectis, ſemet nonnihil levari ſentit aegrotus; ſigna vero brevi rurſus ingraveſcunt. Scrobiculi cordis dolor ſubito violenterque in regionem umbilicalem, et in abdomen undique ſe diffundit. Hoc tempore inteſtina aegroto videntur valide conſtringi ſpinamque dorſi verſus trahi. Nunc alvus admodum dura fit; nonnunquam vero, contra, fuſa. Hoc vero rariſſimum. Sub hoc morbi tempus frequenter oriuntur graviſſima ſigna. Deſiderio urinam reddendi ſaepe vexatur aegrotus. Eandem tamen nonnunquam ne minima quidem quantitate, vel aegerrime ſaltem, excernere valet. Vomitus ſupra poſitus aeque diu ac dolor manet, niſi arte tollatur. Si ſponte ceſſet, ructus amari et ſingultus incipiunt infeſtare. Per totum hoc ſpatium pulſus arteriarum plerumque debiles et inaequales, et urina ſpecie, quam prae ſe fert, adeo variat, ut qualis morbi eventus ſit futurus rariſſime indicet. Abdomen plerumque durum et

tenſum. Partes contentae et continentes ſpaſmo affectae dorſum verſus retrahi videntur, et aeger ſenſum, quaſi medius cultro divideretur, habet. Dolor tandem in dextro hypochondrio fixus evadit, tumore duritieque ſaepe ſtipatus. Quae alvus excernit, ea plerumque colorem ſubviridem habent, dura, rotunda, ſtercori ovino non diſſimilia. Paucas poſt excretiones, alvus ex toto adſtringitur, donec eam medicamenta rurſus emolliant, cum *ſcybala* multa globulive e ſtercore indurato confecti deſcendunt. Poſtquam haec ſigna graviſſima quinque vel ſex dies manſerunt, aegrotus miſerandus nonnunquam levatur; abdomen ei tamen adeo facile dolore afficitur, ut tactum ſtragulorum leviſſimum reformidet. Dolor tandem regionem abdominis relinquit, muſculos tendineſque brachiorum afficit, tractum ſpinae deorſum ſequitur, et ſcapulas parteſve iis vicinas potiſſimum infeſtat. Deinde juncturae artuum graviſſime torquentur, et motus earum perduntur. Crura et femora nonnunquam afficiuntur,

et

et dolores oſſa occupant, luis venereae proprios reddentes. Ab his, ſi corpus frigori objiciatur, vel ob quamlibet aliam leviculam cauſam, ad abdomen remigrant. Multos poſt paroxyſmos juncturae manuum aliarumque partium prius doloribus violentis corripiuntur, deinde tophis onerantur. Hi ſpiſſitudine variare conſuerunt, quae modo cretam, modo lapidem, modo caſeum refert. Antequam tophi artuum ſe oſtendunt, ictus arteriarum validos eſſe, et alia febris ſigna ſubſtare, notat celebris Huxhamius. Reiteratos poſt paroxyſmos, invadunt convulſiones et paralyſis manuum, quibus ſenſus plerumque ſupereſt, quanquam motus amittitur. Sub hoc tempus, ſi nulla remedia morbum depellendi cauſa fuerint adhibita, paroxyſmus epilepticus nonnunquam miſerandum aegrotum cruciatu graviſſimo liberat.

Colica Damnoniorum autumno ſaepiſſime ſe oſtendit, quamvis hac tempeſtate haudquaquam circumſcribitur. Saevitiam ſuam

enim

enim in mortales vere, ut neminem fugit, nonnunquam exercet.

Eam frequenter excipiunt hydropes, et complures alii morbi, qui non medicinae ſolent parere.

CAUSA PROXIMA.

Quicunque hiſtoriam praecedentem perleget attentus, pleraque ſignorum ab affectu tunicarum canalis alimentarii ſpaſmodico proficiſci, facile concludet. Hic affectus vero non inteſtinis ſolis circumſcribitur, ſed in ventriculum et viſcera vicina ſemet diffundere videtur. Quinetiam partes ſyſtematis a ſe invicem longe diſſitae, per illum forſitan nexum et conſenſum, qui inter partes corporis diverſas intercedit, mirandum, afficiuntur.

Ventriculus et canalis alimentarius omnes fere reliquas ſyſtematis partes modum in mirabilem quaſi regunt et gubernant.

Mulierum

Mulierem loco honeſtiſſimo natam, robuſtam, et conſtitutione corporea ab omni parte excellentiſſima praeditam, optime novi, quae, quantitate infuſi theae viridis modica ſumpta, cubitum paucis minutis ire cogitur. Senſus doloris moleſtiſſimus caput invadit, totumque ei corpus adeo debilitatur, ut nec in cubiculo huc illuc ambulare, nec pedibus quidem, abſque auxilio, poſſit inſiſtere. Quaedam alimenti genera effectum hujuſcemodi in certa corpora edunt. Cook, navigator ille in primis celebris, virique generoſi, qui illum orbem terrarum circumnavigantem ſunt comitati, piſcem, cujus naturam tunc ignorabant, quodam veſpere caenarunt. Mediam ſub noctem, ſignis graviſſimis ſunt expergefacti. Vires alimenti, quod ſumpſerant, ſedantes deſignarunt nauſea, ventriculi oppreſſionis ſenſus, debilitas. Torpor et inſenſilitas univerſos eorum artus occuparunt. Effectus hoc genus tanti fuerunt, ut praefectus, fama longe lateque jure nobilitatus, pondus

plumae et poculi duas humoris libras continere valentis, nequiverit distinguere.

Naturam hujus consensus, qui supra positus, et rationem, qua agat, rite exponere, vires ingenii mei longe excedit. Aliquantum vero luminis huic argumento offuderunt nonnulla ab illo anatomicorum principe Monroio nuperrime tradita. Quod ante conjecturae probabili tantum innisum est, id nunc demonstratio magna ex parte evidens reddidit. Hic anatomicus celebris ne duas quidem nervorum fibrillas in toto corpore esse comperitur, quae non in aliquo loco conjunguntur, et sibi invicem admiscentur.

Ad inceptum vero redeundum: Cum in colica Damnoniorum affectus canalis alimentarii spasmodicus tam plane evidenterque substet, vix ambigi potest quin pro causa proxima debeat haberi.

CAUSA

CAUSA REMOTA.

Cum Huxhamius de colica Damnoniorum ſcripſerit, et originem ejus fuſe inveſtigare conatus ſit, cumque plerique ejus aequalium, et non pauci recentiorum, in ſententiam ejus hac ſuper re conceſſerint, utrum notiones eorum cauſae hujus morbi remotae fundamento ſtabili, necne, innitantur, explorare conabor.

Damnonios hoc morbo ſaepius autumno, quam quolibet alio anni tempore, laborare compertus eſt Huxhamius. Hoc tempore quantitas ſucci pomorum fermentati ſolita major potari conſuevit, et tartaro, quod hic liquor continet, eo judice, morbus eſt referendus. Hunc liquorem ſaponem admodum referre, vimque igitur non parum detergentem habere, quas partes contingit, eas irritare et inflammare tradit. Cum magna hujus igitur quantitas ſumitur, eoſdem,

dem, inquit, effectus primas in vias edat necesse est. Mucum illum lubricantem, quo intestina sana inunguntur et defenduntur, abradere et abluere ponit. Magis etiam nociva, ejus judicio, praestat. Acidum per lactea liberaliter absorbetur, et totam humorum massam circumeuntem acrimonia sua brevi vitiat et corrumpit. Hanc ob causam, bilis et omnes alii humores, qui a sanguine secernuntur, mutantur, dotesque naturales sibique proprias amittunt. Acido nimis abundanti, quod in systema recipitur, bilis non amplius obsistere valet. Series igitur signorum gravium oriatur oportet.

Hoc ratiocinium forsitan primo intuitu erroris expers esse videbitur; si vero examini diligenti subjiciatur, fundamento parum firmo inaedificari reperietur. Huxhamius judicio sano fuit praeditus, et quae semet ei ostenderunt accurate notavit; sed eb erroribus, quos natura humana parum cavet, minime vacuus fuit, et in theorias maxime ridiculas frequenter inductus est.

Plebeculam

Plebeculam apud Damnonios certis anni temporibus huic morbo inſigniter patere comperit. Quinetiam malum pro quantitate ſucci pomorum fermentati magis minuſve invaleſcere notavit. Tartarum igitur, quod liquor modo poſitus continebat, cum principium ejus maxime manifeſtum fuerit, et theoriae ſuae optime reſponderit, omnium ſignorum quae oriuntur gravium originem eſſe concluſit. Hoc in argumento conſiderando ulterius progreſſus eſt. Qui vina Rhenana vel Moſellana liberaliter biberunt, eos malo conſimili objici accepit. Hoc ei in animum induxit, ut haec vina examinaret, et, prout expectavit, chryſtallos, quos continebant, in ſucco pomorum fermentato repertos omnino reddere comperit. Caeterum tempore, quo Huxhamius ſcripſit, leges oeconomiae animalis haudquaquam bene ſunt intellectae. Alkalina et acida, ut medicis illo tempore florentibus placuit, vitia humorum animalium innumera excitarunt. Medicamenta nonnulla particularum mole et denſitate majore

lentorem,

lentorem, et caetera idem genus, ſuſtulerunt. Alia, contra, quod in particulas innumeras et exiguitate infinitas dividi potuerunt, arteriolarum minimarum ramuſculos remotiſſimos ingredi, et ita obſtructionem ſuperare, valuerunt. Operationes naturae perſequendi et exponendi cupidine mens humana nunquam non inflammatur. Cum vero inveſtigatio cauta et cogitatio attenta non amplius exercentur, ſed vis imaginandi indomita, quae nunquam mortales a vero non detorquet, incipit huc illuc libere vagari, ridicula et admodum abſurda recipiantur et credantur oportet. Ad inceptum autem redeamus.

Medicos experientia docuit tartarum tantum abeſſe, ut morbum moveat, ut, contra, rite praeparatum in ejus orti auxilium promptiſſimum ſit, immo ut ei venienti potenter occurrat. Si tartarum morbum facere valeret, Turcae, multaeque aliae nationes, quae magnas potus, qui *ſherbet* appellatur, quantitates alioſque liquores acidos adhibent, ei in primis paterent. Caeterum rem

aliter

aliter ſe habere reperimus. Si liquores hoc genus illis noxae forent, ante multos annos alios in locum eorum ſuffeciſſent ut effectus eorum pernicioſos vitarent. Cum vero per multas annorum centurias in uſu eorum perſtiterint, et adhuc perſtant, hoc haud dubie impune faciunt. L'Abbé Chappe d'Auteroch, qui Ruſſiam et Siberiam, juſſu regis Galliarum, peragravit, pagina operis ſui quadrageſima prima, memoriae prodit, plebeculam harum regionum quod *Quoas* vocatur pro potu ordinario adhibere. Hoc autem nihil aliud eſt quam aqua, in qua fermentatio per furfurem et farinam fuit excitata. Hic liquor, cum ſumitur, aeque acidus ac acetum eſſe dicitur. Nullae tamen noxae uſum ejus ſubſequuntur. Acida fibris muſcularibus admota eas plane ſtimulant, et, cum eaſdem quoque corrugent, vim adſtringentem haud dubio habent. In ventriculum vero et inteſtina recepta, ibique bili admiſta, poteſtatem modice purgatricem ſibi adipiſcuntur. Si vero colicam Damnoniorum faciunt, effectus ibi longe

longe diverſos edunt. Quod minime credibile. In eo ventris malo, quod apud Indos Occidentales magnopere invaleſcit, *dry belly-ach* nominatur, et colicam Damnoniorum, multum reddit, cremor tartari ſuccuſque limoniorum a Hillario celeberrimo ſummis laudibus efferuntur. Zeller vinum ſaccharo Saturni, ducatu in Wintembergenſi, ſub initium centuriae quae nunc elabitur, vitiari rurſus inchoatum eſſe refert. In diſſertatione ſua, aſſerit loca Tubengen vicina incolentes vina ibi nata, quanquam aeque ac acetum acida ſint, diu impune adhibuiſſe, donec fraus modo poſita invaleſcere coeperit. Cauſa igitur morbi, quem exequimur, non in acido ſucci pomorum fermentati mero, ſed in aliqua materia extranea, fraude caſuve in eum invecta, quaerenda.

Plumbum et ex eo praeparata in ventriculum recepta, omnia ſigna colicae Damnoniorum propria, abſque ulla exceptione, movent. Quoſdam forſitan effectus ab iis, quos quaelibet alia ſubſtantia, quam noverimus,

rimus, omnino diverſos edit plumbum. Exigua hujus quantitas primas in vias introducta motum ventriculi et inteſtinorum periſtalticum ex toto perdere, et talem ſignorum ſeriem, qualem nullum aliud venenum, quantum ſcimus, movere ſolet, facere reperitur valere. Colica a praeparatis e plumbo oriens, et Damnoniorum propria, pomaceum ſumendo mota, ſignis et exitu adeo ſimiles ſunt, ut celebris Baker, et alii, utramque ab eadem cauſa proficiſci, diu ſint ſuſpicati. Hanc conjecturam veram eſſe, antequam haec diſſertatiuncula ad finem perducetur, ſatis evidenter, uti ſperamus, probabimus.

Succus e pomis maturis expreſſus magnam acidi quantitatem ſaccharo adjunctam comprehendit. Hoc acidum, vel in ſtatu ſuo nativo, cum muſtum, vel in ſtatu fermentato, cum acetum, vel in ſtatu qui hunc inter et illum intercedit, cum pomaceum appellatur, plumbo, ſive ſub forma metalli, ſive in calcem redactum, ei applicetur, facillime vitiatur. Plumbum autem,

 ſucco

ſucco pomorum fermentato adjunctum, pro ſaccharo Saturni habendum eſt. Si inſtrumenta et vaſa diverſa, quibus pomaceum Damnonii praeparare conſuerunt, conſideremus, ſatis, unde liquor poſſit imbui, reperiemus. "In many parts of the county of Devonſhire, the circular trough uſed in grinding their apples is compoſed of ſeveral pieces of moor-ſtone, cramped together with iron, and fixed with melted lead poured into the interſtices in the inſide of the groove. Theſe ſtones are not always wrought with much art, and ſometimes being of irregular and inequal figures, they do not correſpond with each other, ſo that conſiderable chaſms are left between, and thoſe chaſms are filled with lead. The apples, therefore, ground by the preſſure of the roller, come immediately into contact with no ſmall quantity of this poiſonous mineral *."

Auctor modo comprehenſus tradit aliis e praelis, ubi pomaceum paratur, ſuperficiem

* Baker, Med. Tranſ. p. 207.

ciem interiorem plumbo ex toto esse succinctam, aliis, ubi perfluere incipiunt, rimas juncturarum laminis ejusdem metalli obturatas et obductas. Quinetiam memoriae prodit, moris esse quorundam agricolarum, cum, anno nondum longe provecto, antequam poma summam ad maturitatem pervenerunt, pomaceum tenuius conficiunt, molem plumbi non parvam in dolium, quo liquor non acescat, conjicere. Denique addit, usum cerussae in acore corrigendo nec colonos nec mercatores latere.

Quantitatem pomacei ab agricola emendam curavit celebris Baker, qui nihil plumbi vasis, ubi conficiebatur, si pauxillum ejus in praelo componendo adhibitum excipias, inesse asseruit. Vir celebris, analysi chemica instituta, comperit triginta sex hujus liquoris libras grana plumbi quatuor dimidiumque continere. Quo hanc rem accuratius investigaret, multa pericula fecit, et, prout expectaverat, reperit pomaceum universum apud Damnonios paratum, maximamve saltem ejus partem, ali-

quanto

quanto hujus materiae perniciosae esse imbutam. Quem liquorem, hanc detegendi consilio, adhibuit, is fuit atramentum sympatheticum et sulphuris tinctura volatilis. Quo rite compertum habeas effectus perniciosos, qui pomaceum Damnoniorum epotum subsequuntur, plumbo, quod continet, et non acori ejus, esse tribuendos; tantum opus est ut tecum attentus consideres, nullas noxas omnino usum ejus, nonnullis in Angliae regionibus, liberalem comitari solere, ubi magnae ejus quantitates parantur, usus-que plumbi in vasis componendis ex toto vitatur.

Dr Wall, medicus satis celebris Vigorniensis, in epistola, quam ad Dr Baker misit, sequentia refert: 'The counties of 'Hereford, Gloucester, and Worcester, are 'not, so far as I know, subject to the cho-'lic of Poitou. There is no lead, which 'can give occasion to that cholic, used in 'any part of the apparatus for grinding 'or pressing the apples, or fermenting the 'liquor. Once, indeed, in a plentiful

'year

'year of apples, I knew a farmer who 'wanted casks, fill a large leaden cistern 'with new cyder, and keep it there till 'he could procure hogsheads sufficient to 'contain the liquor. The consequence 'was, that all who drank of it were af-'fected by it, as lead workers generally 'are. We had eleven of them at one 'time in our Infirmary.'

Quod supra refertur, id satis, me judice, demonstrat colicam Damnoniorum a plumbo, quod pomaceum continet, solo proficisci. Hoc, quantitate minima, in corpus humanum invectum perniciosissimos, ut experientia docet, effectus edit. Huic causa morbi remota tribuatur necesse est. Dotes hujus in ventriculum recepti sedantes et venenatae paucos medicos, vel antiquiores vel recentiores, fugerunt. Hic causam ad omnia signa formidolosa, quae ab usu ejus oriuntur, movenda accommodatam, reperire haudquam difficile.

Neminem potest latere, pictores, *vitri laevigatores*, *typographos*, in metallis effo-

diendis,

diendis, iisdemque fundendis occupatos, potissimum postremos, &c. colicae Damnoniorum insigniter objici. Homines non paucos, constitutione corporea excellentissima praeditos, paucos post annos, si in metallis eruendis pergerent occupari, omnibus signis in historia praecedente comprehensis corripi saepe vidi.

Venenum in systema modis diversis invehitur. Id lymphatica cutanea absorbent, vel effluvia inter plumbum fundendum per aërem in pulmones ingredi, et ita introitum in corpus intimum facilem reperire, possunt. Rem ita se aliquando habere opinor. Namque asthma aliosque pulmonum affectus reliqua signa antecedere notavi.

E plumbo praeparata nuper apud chirurgos liberaliter fuerunt adhibita. Goulardus, Aitkinus Warringtoniensis, et alii, usum plumbi externum nullis effectuum perniciosorum, qui ab eo interne adhibito oriuntur, unquam stipari contendunt. Quantum ad memetipsum attinet, praeparata Saturnina saepe liberaliter adhiberi, nullas

tamen

tamen noxas ea ſubſequi, vidi. Exempla vero, non diffitendum, in monumentis rei chirurgicae reperiunda, ubi ſymptomata gravia praeparata hoc genus exceperunt. Multos hujuſmodi caſus memorat Percivallius, quorum ſubſequens unus eſt: 'The 'governor of the work-houſe of Man-'cheſter, aged upwards of ſeventy years, 'had a large ulcer in his leg, which was 'waſhed ſeveral times in the day with the 'ſaturnine water of Goulard, and then 'covered with an emollient poultice, which 'contained a ſmall quantity of the lini-'ment of lead. After uſing theſe appli-'cations four days, he became affected 'with the cholic and paralytic ſymptoms, 'which, though ſlight in degree, could not 'fail to be alarming. The preparations 'of lead were therefore diſcontinued, and 'he ſoon recovered from theſe adventi-'tious complaints.' Cauſa igitur non deeſſe videtur, cur ex hoc aliiſque exemplis ſimilibus concludamus, praeparata hujuſmodi hunc morbum horrendum nonnun-

quam

quam movisse; hoc tamen raro incidere mihi persuasum. Si morbum saepe fecissent, in desuetudinem jamdudum abiissent. Chirurgos, contra, artis propriae notitia jure nobilitatos, ea quotidie adhibere pergere, summisque laudibus efferre, compertum habemus.

RATIO SYMPTOMATUM.

Dolor abdominis a strictura tunicae ventriculi et intestinorum muscularis spasmodica proficisci videtur, quae facit ut faeces induratae arctius constringantur, et partes continentes inaequaliter contrahantur, et distendantur, quod doloris gravis sensum non movere non potest. *Dotes* plumbi in totum canalem alimentarium, potissimum vero in arcum coli, agentis, venenatae, et sedantes, illum doloris circa scrobiculum cordis sensum, qui tantum aegroto molestiae

 facessit,

facessit, haud dubie faciunt. Flavedo autem totius corporis superficiei a bilis absorptione oriri videtur. Hanc vero forsitan promovet ille humor in poris ductibusque biliferis stagnans. Plumbi venenum excretionem bilis magnopere retardat et impedit. Qui in plumbo effodiendo et fundendo sunt occupati, ii huic flavedini saepe insigniter prius objiciuntur, quam alia morbi signa accedunt. Hoc potest explicari, si organa hepatica non minus, quam alias partes, viribus plumbi sedantibus affici, vel motum intestinorum peristalticum adeo debilitari, ut ad ductus biliferos emulgendos parum possit conferre, ponas. Hinc bilis in duodenum tarde descendet, et absorptio ejus stagnatione nimis diuturna augebitur. Cum morbus longius est progressus, flavedo multum augeri consuevit. Hoc forsitan praestant partes vicinae nunc multum distensae, quae, rebus ita se habentibus, ductus biliferos magna ex parte comprimente, igiturque descensum bilis impedient. Appetitus prostratus ab atonia

fibrarum ventriculi muſcularium, et nauſea a contentis ventriculi nimis diu retentis, et natura ſemet onere moleſto levare conante, proficiſci poteſt. Vomitio a motu ventriculi et inteſtinorum periſtaltico inverſo oritur. Quod rejicitur, id bili ſubviridi nonnunquam admiſcetur. Hoc a bile in ventriculum per motum periſtalticum duodeni inverſum ſurſum propulſa pendet. Quod vomitione expellitur, id plerumque admodum acre. Hoc a contentis ventriculi adeo diu retentis, ut proceſſum fermentationis acetoſum nimia ex parte ſubierint, oriatur oportet. Alvus nonnunquam, ut in diarrhoea, fuſa eſt. Caeterum hoc in exemplo ſcybala, in hiſtoria comprehenſa, vix unquam deſcendunt, niſi ad cathartica confugitur.

Cauſam hujus morbi proximam ſtricturae tunicae ventriculi et inteſtinorum muſcularis ſpaſmodicae tribuimus. Cum alvus autem fuſa eſt, ponere poſſumus contenta canalis alimentarii fluida per locum conſtrictionis tranſire permitti, dum valvulae conniventes

niventes adeo conſtringuntur, ut faecibus induratis aegerrime cedant. Hinc oriuntur forma ſcybalorum rotunda, et, morbo provectiore, abdominis tumor et tenſio; namque ſtercus induratum, niſi per medicamenta idonea fuerit expulſum, nimia copia colligetur. Iſchuria, quae aliquando per morbi decurſum ſe oſtendit, ratione ſequente poteſt exponi. Stimuli certi uni corporis parti applicati partes ejuſdem maxime diſtantes non raro afficiunt. Frigus, exempli gratia, pedibus nonnullorum ſubito admotum, totum canalem alimentarium adeo, ut diarrhoea moveatur, afficere ſolet. Monroius celeberrimus memoriae prodit ſpecillum aurem interiorem titillans tuſſim frequenter excitare. Exempla alia innumera, quae hunc conſenſum mirandum illuſtrent, poſſunt adduci. Plumbi venenum ſedans, in nervos extremos primarum viarum ſentientes agens, per conſenſum cum ſphinctere veſicae uriniferae communicari, vel, quantum novimus, venenum ipſum, et per ſuperficiem et per primas vias maſſam circumeuntem,

circumeuntem, ingredi, et hoc modo ad quamlibet ſyſtematis partem devehi poteſt. Tophos artuum, a conditione totius ſyſtematis morbida, explicatu in primis difficili, proficiſci probabile. Oeconomia autem lacteorum, totumque ſyſtema abſorbens cum iis conjunctum, hoc in morbo admodum turbentur neceſſe eſt. Proceſſum igitur concoctionis, et abſorptionem adeo poſſe mutari, ut talia, qualia ante fuerunt ex toto excluſa, in maſſam humorum circumeuntem admitti patiantur, et haec rurſus pro legibus oeconomiae animalis foras expelli, et in partibus corporis diverſis deponi poſſe, nihil obſtat quo minus ponamus. Qui dolores oſſa, artus, &c. invadunt, ii per principia ſupra comprehenſa ſunt exponendi. Cum cauſa morbi remota aliquandiu egit, univerſae ſyſtematis functiones adeo mutantur, ut ſigna hujuſmodi oriri nequeas mirari. Paralyſis, aliique affectus nervoſi, in morbi hiſtoria ſignis reliquis accenſentur. Diſtributioni ſyſtematis nervoſi ejuſdemque functionibus multi nu-

per

per diligenter ſtuduerunt, et in his Monroius Profeſſor in primis celebris. Hic, quod haudquaquam negandum, multum huic argumento luminis offudit; multa tamen phaenomena, quae nullo modo poſſunt explicari, in omnibus fere vitiis nervoſis, ſemet oſtendunt. In ſignis, quae in praeſentia exequimur, res ita ſe habet. Cur ſenſus, motu amiſſo, maneat, difficulter, immo nulla ex parte, explicare valebis. Cum nihil ſuper hac re, quod mihi aliiſve ſatisfaciat, poſſim proferre, incepto deſiſtere ſatius eſſe duco.

D I A G N O S I S.

Parum periculi eſſe videtur, ne colica Damnoniorum pro quolibet alio morbo habeatur, ſi medicus ad rationem, qua aegrotus inſueverit vivere, animum rite attendat. Nonnulla ſunt ſigna hujuſce morbi

bi propemodum propria, quae eum adesse fere demonstrant. Dolor abdominis et circa scrobiculum cordis, in historia positus, per magnum temporis spatium absque ulla intermissione saepe manet. Non aeque acutus, ac in ileo, esse videtur. Quinetiam hic morbus breve spatium plerumque habet; colica Damnoniorum, contra, quinque sexve dies ad minimum, absque ulla intermissione insigni, saepissime pergit. Si hunc morbum ab aliis nosologice secernere velis, sub genere colicae Cullenianae, nosologi illius jure celeberrimi, colloces oportet. 'Colica, praeeunte ponderis vel mo-
'lestiae in abdomine, praecipue circa um-
'bilicum, sensu; accedente dolore colico,
'primum levi, non continuo, et, praeci-
'pue post pastum, acuto, tandem graviore
'et fere perpetuo; cum dolore brachio-
'rum et dorsi, in paralysin demum abe-
'unte.'

Vix pro cholera potest haberi, cum nihil, si vomitum biliosum excipias, huic et illi morbo sit commune. Qui dolores ar-

tus

tus afficiunt, et venereos rheumaticosve referunt, ii ab horum morborum propriis hoc differunt, quod non noctu, aegroto in lecto decumbente et calido, maxime urgent. Alius tantum morbus est, ad quem similitudine accedere videtur, illa nempe arthritidis species, quae *atonica* appellatur. Huic quidem malo et colicae Damnoniorum compluria signa communia sunt, ut nausea, vomitus, affectus aliquando paralytici, tophi, &c. Hoc in exemplo, habitum aegroti corporeum considerandum, et, utrum causae cholicae Damnoniorum remotae necne fuerit objectus, inquirendum. Unus morbus pro altero haberi parum periclitatur. Si arthritis subsit, artus plerumque prius corripiuntur. Hoc in colica Damnoniorum rarissime, quanquam interdum, incidere consuevit. Si vero ad artem, quam aegrotus exerceat, et rationem qua insueverit vitae, animum attendamus, in errorem super morbi natura vix unquam incidere valebimus.

PROG-

P R O G N O S I S.

Poſtquam aegrotus cauſis colicae Damnoniorum remotis diu objectus, eaque ſemel correptus fuit, reditui ejus patebit, licet ad omnia, quae ad hunc praecavendum accommodantur, remedia decurratur. Nonnunquam, cum alioquin ex toto ſanus eſt, et cauſa remota non diu agere perrexit, ad ſanitatem magna ex parte reductum iri ſperare poſſumus, quanquam pro certo non affirmare debemus, aegrotum a morbo unquam ex toto vacuum fore. Qui pomaceum apud Damnonios bibunt, ii adeo liberaliter id ſumunt, ut tantum ejus brevi in ſyſtema invehatur, quantum, cauſis excitantibus applicatis, morbum movere, et fundamentum ejus reditus nimis diuturnum jacere poteſt. Non pauci caſus ſe oſtendunt, unde colligi valet, quantitatem plumbi admodum exiguam, in corpus receptam,

ceptam, hunc morbum dirum, et omnes ejus ſequelas metuendas, facere poſſe. Quod aſſeruimus probare videntur exempla ſequentia a celebri Warrennio memoriae prodita *: 'In June 1752, thirty-two per-'ſons in the Duke of Newcaſtle's family, 'then reſiding at Hanover, were ſeized 'with the colica Pictonum, after having 'uſed, as their common drink, a ſmall 'white wine, that had been adulterated 'with ſome of the calces of lead. They 'were all attacked in the common way, 'excepting one, whoſe firſt ſeizure was 'an epileptic fit. Many of them had pro-'fuſe ſweats before the diſeaſe terminated, 'and a few had an eruption of white and 'red pimples, which were very fiery, and 'itched exceedingly. All of them relap-'ſed four or five times, after they ſeemed 'to have been cured. Many had the diſ-'order thrice, and ſome five times. One 'had a ſevere return of the complaint two

 'years

* Vide Med. Tranſ. p. 86.

'years afterwards, and has had nine re-
'turns of the cholic ſince.'

Quae ſupra referuntur, ea conamina medicorum hoc in morbo depellendo ſaepe parum felicia eſſe demonſtrant. Igitur bonum ejus eventum parce cauteque promittant, neceſſe eſt.

RATIO MEDENDI.

Conſilia huic morbo medendi plane triplicia ſunt.

I. Cauſam proximam, quatenus in manu noſtra eſt, tollere.

II. Affectibus ſymptomaticis venientibus occurrere, eoſdemve ſubſtantes removere.

III. Reditum paroxyſmi praecavere.

Conſilio primo reſpondent omnia, quae ſpaſmum effectuſque ſedantes veneni, primas in vias editos, tollunt. Tota antiſpaſ-

modicorum

modicorum claſſis adhiberi poteſt. Sanguinis detractio reliquis hoc genus remediis potentior eſt. Sed diatheſis inflammatoria hoc in morbo raro adeſt; et hoc remedium adhibitum plerumque fuit noxae non mediocri. Emetica, ſpaſmum tollendo, et ventriculo et inteſtinis comprehenſa, forſitan venenum ipſum quod morbum movit evacuando, ſaepiſſime proſunt. Si vires aegroti patiantur, tartarum emeticum iis quantitatibus ſumi poteſt, ut et ſurſum et deorſum agat. Si ad hoc non confugiatur, infuſum chamomaeli vel aqua tepida, donec hunc edat effectum, bibenda. Venenum plumbi ſedans, motum totius canalis alimentarii periſtalticum debilitando, alvum aſtrictam reddit. Huic diligenter occurrendum. Purgantia ore ſumpta frequenter rejiciuntur. Cum hoc incidit, ad enemata, quae in alvum ſaepius immitti debent, et ad fomenta calida, quae abdomini admovenda, decurrendum. Oleum ricini, ob vires purgatrices, hoc in morbo ſummis laudibus fuit elatum. Caeterum non adeo

diu,

diu, ut agere poſſit, ventriculo ſedere ſolet, ſed ingratum evadit, vomituque rejicitur. Sales medii rite adminiſtrati votis noſtris plerumque reſponderunt. Quantitate, quae excretionem copioſam facere valet, ſumi, et e brevibus intervallis reiterari debent; quoniam ſpaſmus ſuperatu difficilis eſt, et facile repetit. Epiſpaſtica, utpote quae vim antiſpaſmodicam potentiſſimam habeant, alvo pertinaciter adſtricta, tentata fuerunt; et, ut memoriae proditum, non parum profuerunt. Cum vero alia et ſatis valentia, quorum actionem melius intelligimus, remedia ſint, haec rariſſime neceſſaria fore ducimus. Nullum novimus medicamentum, quod nomen antiſpaſmodici melius, quam opium, meretur. Liberaliter, dolore urgente, dari debet laxantibus adjunctum. Poſtquam ſigna colicae deceſſerunt, quod plerumque intra tres quatuorvè dies, ſi medicamenta ſupra poſita rite ſumantur et adminiſtrentur, incidere ſolet, genus alimenti et naturam ſumma cum cautela reſpiciat aegrotus; quoniam inteſtina longum

per

per tempus irritabilia manent, et quodlibet insolitum pessime ferunt. Cibus aliquandiu e jusculis, e carne ovilla, vel vitulina confectis, constet. Cathartica adhibeantur, dum alvus dura manet. In locum salium mediorum, substitui possunt infusum senae pulvisque jalappii.

Paroxysmo ex toto finito, et curatione, uti videtur, absoluta, non ab usu medicamentorum desistendum est, quae canalem alimentarium modice stimulant et aperiunt. Alumen, ut catharticum in exemplis colicae Pictonum levioribus lene et tutum, a Percivallio, in tentaminibus suis, nuper fuit laudatum. Verba ejus sequuntur: 'I 'have administered it with the happiest 'effect in various obstinate and painful af- 'fections of the bowels. Fifteen grains 'given every fourth, fifth, or sixth hour, 'for the most part, prove gently aperient; 'and, if the symptoms be not very severe, 'the second or third dose seldom fails to 'mitigate the pain, and sometimes entirely 'to remove it.' Cum hoc novum reme-

dium ſit, et forſitan actione ſua incertum, valentiora purgantia, me judice, uſum ejus praecedere debent. Remedium, ſub morbi finem, utile eſſe poſſe videtur, cum nihil, niſi durities alvi, ſupereſt. Actio ejus a viribus ſuis tonicis et adſtringentibus videtur pendere, quae motum canalis alimentarii periſtalticum accelerare, et hoc modo ſtercoris evacuationem promovere, poſſunt.

Conſilium ſecundum fuit affectibus ſymptomaticis venientibus occurrere, eoſdemve ſubſtantes removere. Hi autem plerumque ſunt manuum tremores, aliarum partium paralyſis vel dolores, epilepſia, facultas verba enunciandi amiſſa, &c. In exemplis epilepſiae et paralyſis electricitatem laudat Percivallius, et ab ea adhibita ſummum commodum oriri ſe vidiſſe refert. Cum pleraque ex hiſce ſymptomatis à conditione ſyſtematis debili proficiſci videantur, tonica et antiſpaſmodica plane indicantur. Ex his epiſpaſtica ſaepe proderunt. Verriculum, frigida, cortex Peruvianus, exercitatio

tio modica, diaeta ſatis lauta, alvus modice ſoluta, omnino ſunt neceſſaria.

Quo conſilio tertio reſpondeatur, in primis neceſſarium eſt, ut aegrotus cauſam morbi remotam diligenter refugiat, et in uſu medicamentorum et regiminis, ſupra comprehenſorum, continuo perſtet. Si hoc rite diligenterque fiat, feliciſſima nonnunquam contingunt, et aegrotus, curatione idonea adhibita, ſaevitia morbi liberatur, qui, ſibi relictus, omnibus malis corporeis, quibus natura humana fragilis et laborioſa patet, finiri conſuevit.

Quae ſuper hoc morbo exequi decreveram, iis nunc ad finem perductis, tantum ſupereſt, ut omnibus hujus Academiae celeberrimae Profeſſoribus grates perſolvam, e quorum praelectionibus excellentiſſimis multa per quadriennium utiliſſima cepi.

F I N I S.